

## Pars prior.

*Ἔστιν οὖν τραγῳδία μίμησις πράξεως  
σπουδαίας καὶ τελείας, μέγεθος ἐχούσης,  
ἡδυσμένῳ λόγῳ, χωρὶς ἐκάστου<sup>1)</sup> τῶν  
εἰδῶν ἐν τοῖς μορίοις, δρώντων καὶ οὐ  
δι' ἀπαγγελίας, δι' ἐλέου καὶ φόβον πε-  
ραίνουσα τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων  
κάθαρσιν.*

(Aristot. de a. p. 1449b 24 ss. ed. Imm. Bekk.)

**I**ngens fere numerus est eorum, qui a Lessingi temporibus  
hujus loci vim ac sententiam interpretari conati sunt. Quorum ex  
numero honoris caussa praeter ceteros nominatos velim recentiorum  
temporum interpretes Fr. de Raumerum,<sup>2)</sup> Chr. Aug. Brandisium,<sup>3)</sup>  
Eduard Muellerum,<sup>4)</sup> G. Weilium,<sup>5)</sup> Jac. Bernaysium,<sup>6)</sup> Leon.

<sup>1)</sup> *ἐκάστῳ* emendavit Tyrwhittius, conf. Susemihli ed. a p. pag. 61, adnot. 8.

<sup>2)</sup> „Abhandl. der Berliner Akademie,“ 1831, hist.-philol. Kl. Seite 130 ff.

<sup>3)</sup> „Aristoteles u. seine akadem. Zeitgenossen,“ zw. Hälfte, Berlin 1857  
b. Steimer, S. 1689 ff.; „Handb. der Gesch. der griech.-röm. Philosophie,“  
III., S. 163 ff.; „Geschichte der Entwickl. d. gr. Philosophie,“ I., S. 562 ff.

<sup>4)</sup> „Geschichte der Theorie d. Kunst b. d. Alten,“ II., S. 62 (Breslau, b.  
Max u. K., 1834); „N. Jahrb. f. kl. Phil.,“ Bd. 101 (1870), p. 402 ff.

<sup>5)</sup> „Über die Wirkung d. Tragöd. nach Aristoteles“ von Dr. Weil in  
Strassburg, Beil. I zu den Verhandl. deutsch. Philologen u. Schulmänner 1847,  
S. 131 — 141; N. Jahrb. f. kl. Philol. 1859, S. 159 ff.

<sup>6)</sup> „Grundzüge der verlorenen Abhandlung des Aristoteles über Wirkung  
der Tragödie.“ Aus den Abhandl. der Histor.-phil. Gesellsch. in Breslau.  
I. Band. Breslau, Verlag v. Eduard Trewendt, 1857; „ein Brief an Leonhard  
Spengel über die tragische Katharsis bei Aristoteles.“ Rh. Mus. XIV. p. 367 ff.;  
„Zwei Abhandlungen über die aristotelische Theorie des Drama,“ Berlin 1880.  
Verlag von Wilhelm Hertz.

Spengelium,<sup>7)</sup> Ad. Stahrrium,<sup>8)</sup> Fr. Ueberwegium,<sup>9)</sup> Franc. Susemihlium,<sup>10)</sup> Jos. Hub. Reinkensium,<sup>11)</sup> Herm. Baumgartium,<sup>12)</sup> P. Mannsium,<sup>13)</sup> Ant. Bullingerum.<sup>14)</sup>

Cui hominum doctorum circulo si et ego accedere audeo, lectorem oro, ne me neglectis illorum virorum sententiis novae cuiusdam opinionis ingenii acuminis nescio cuius captare gloriolam opinetur. Res enim mihi ea esse videtur, quae omnes eius caussae studiosos in unum tamquam cogat inbeatque unum quemque eorum confiteri, alterius lucubratione suum ipsius laborem si non sublatum esse, at certe levatum.

Atque inter eos, quos supra diximus, loci interpretes ceterosque fere innumerabiles, qui inde a Lessingi hominis sagacissimi temporibus tragoediae illam definitionem interpretari conati sunt, praecipue trium interpretum sententiae hodie in auctoritate sunt: Lessingi, Bernaysi, Baumgarti.<sup>15)</sup> Quos ad viros his temporibus

7) „Über die *καθάρσεις τῶν παθημάτων*, ein Beitrag zur Poetik des Aristoteles.“ Aus den Abhandl. der k. bayr. Akademie d. Wissensch. I. Cl. IX. Bd. I. Abteil. München 1859; „Zur tragischen Katharsis“ des Aristoteles. Antwort an Jakob Bernays. (Rhein. Mus. XIV, 367 — 377.)

8) „Aristoteles und die Wirkung der Tragödie.“ Berlin 1859 (Gutten-tag); „Aristoteles Poetik.“ Übersetzt und erklärt von Ad. Stahr. Stuttgart 1860 (Krais und Hoffmann).

9) Fichte's Ztschrft. f. Philos. N. F. Bd. XXXVI S. 260 ff.; „Aristoteles über die Dichtkunst.“ Ins Deutsche übersetzt, Berlin 1869 (L. Heimann).

10) „Aristoteles über die Dichtkunst.“ Griech. u. deutsch u. mit sacherkl. Anmerk., Greifswald 1865 (Wilh. Engelmann).

11) „Aristoteles über Kunst, besonders über Tragödie.“ Wien 1870 (Wilh. Braumüller).

12) Annal. philol., vol. 111, p. 105 ss.; „Pathos und Pathema im aristotel. Sprachgebrauch.“ Königsberg 1873, p. 56 ss.; „Aristoteles, Lessing und Göthe.“ Leipzig 1877.

13) Annal. philol., vol. 116, p. 146 ss.; Progr. des königl. Gymnasiums zu Emmerich, 1877.

14) „Der endlich gefundene Katharsisschlüssel.“ München b. Th. Ackermann, 1878; „Denkzettel“ etc., ibid. 1880; „*Τοιοῦτος*-Studien“ Blätt. f. d. bayr. Gymnasial-Schulwesen, Bd. 17 (1881), p. 108 ff.

15) Conf. P. Mansi „Die trag. Katharsis.“ Progr. etc. p. 2: „Es entwickelten sich (in Folge dessen) drei wesentlich verschiedene Theorien, eine ethische, eine medizinische und eine ästhetische, als deren Repräsentanten

P. Mannsius accesserunt et A. Bullingerus novam quandam interpretandi viam struendam sibi esse censentes.

Ac primum Lessingius<sup>16)</sup> metus et misericordiae naturam cum ex philosophi ipsius scriptis rhetoricis definiret, relationem quandam mutuum hisce animi motibus inesse putavit, ita quidem, ut nimius misericordiae gradus metu, metus autem affectus nimis excitatus misericordiae motu componeretur et in aptos naturaeque convenientes redigeretur fines. Lessingius ergo tragoediae vim imputavit quae apta esset ad mores spectatorum emendandos ac conformandos, qua quidem opinione praecipue Goethium vehementer exacerbatum esse literisque ad Zelterium missis<sup>17)</sup> eiusmodi artis tragoicae munus prorsus reiecisit constat.

Bernaysius contra centum fere annis post novam Lessingioque tragoediam morum correctricem esse censenti plane oppositam protulit sententiam, qua tragoediae vis eo contineatur, ut affectus illos metus et misericordiae excitet in spectantium animis excitatosque deinde componendo paulatim ac placando in pristinum reducat statum, qua quidem ipsa re paretur voluptas illa tragica, simul cum purgatione quadam, sicuti simili modo fiat (secundum Aristotelem<sup>18)</sup>) per musicam artem in hominibus carmina sacra canentibus.<sup>19)</sup>

---

Lessing, Jak. Bernays und Hermann Baumgart gelten können.“ Conf. etiam, quae scripsit Joann. Nicklas in „Blätt. f. d. bair. Gymnasial-Schulwesen,“ vol. XV (1879), p. 231.

<sup>16)</sup> „Hamburger Dramaturgie,“ vol. VIII, p. 145 ss. (cap. 78).

<sup>17)</sup> „Briefwechsel mit Zelter,“ V p. 330: „... Wir kämpfen für die Vollkommenheit eines Kunstwerks in und an sich selbst; jene (sc. Lessingius et cum eo Raumerus, v. l. c. adnot. 2 p. 137) denken an dessen Wirkung nach Aussen, um welche sich der wahre Künstler gar nichts bekümmert, so wenig wie die Natur, wenn sie einen Löwen oder einen Kolibri hervorbringt.“ etc. conf. Bernaysi verba, l. c. p. 137 et 187.

<sup>18)</sup> Pol. VIII, 7 (1342a 8 ss.).

<sup>19)</sup> „Grundzüge“ etc. p. 176: „Wie kathartische Mittel dem Körper dadurch Gesundheit schaffen, dass sie den krankhaften Stoff zur Äusserung hervordrängen, so wirken die rauschenden Olymposweisen sollicitierend auf das ekstatische Element, welches wider die Fessel des Bewusstseins anschäumt, ohne sie aus eigener Kraft sprengen zu können; in unablässigem Wühlen würde es die Grundvesten des Gemütes untergraben, fände es nicht einen Bei-

Baumgartius „*τοιούτος*“ vertit voce „entsprechend“ et vocabulum „*πάθημα*“ „unvollkommene Erscheinung einer Empfindung“<sup>20)</sup> itaque tragoediae vim qualem Aristoteles ei tribuit eam intellegit, quae affectus inkompositos neque justum modum tenentes componere et in suam convertere ac reducere possit condicionem.

P. Mannsius eodem fere tempore quo Baumgartius verba „*περίνουσα τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν*“ ita vertere et interpretari conatur, ut vocem „*παθημάτων*“ Genetivum subiectivum, non, sicuti ceteri — praeter G. Weilium<sup>21)</sup> — facere consuerunt, obiectivum esse censeat. Affectus igitur metus ac misericordiae ipsos purgare, non purgari ille opinatur et purgare quidem spectantium animos ab superbia.<sup>22)</sup>

Ant. Bullingerus ex Aristotelis et aliorum scriptorum Graecorum libris ostendere sibi videtur, pronomen „*τοιούτων*“ verti posse et verti oportere hoc loco „diesbezüglich;“ „non ergo metus,“ inquit, „ac misericordiae affectus purgantur, immo vero his affectibus actores ipsi (non spectatores) purgantur suis, quas in tragoedia fingunt, concitationibus.“<sup>23)</sup>

Et Lessingi et Bernaysi interpretationes a permultis refutabantur. Neque enim unquam fieri posse alii dicebant, ut artis tragicae imitatione mores corrigantur et in meliorem quendam statum redigantur;<sup>24)</sup> alii contra affectuum excitationem ac deinde relaxationem et liberationem ut nimis corporum naturae et conditioni medicorumve artibus similem sive potius comparem respuebant.<sup>25)</sup>

---

stand an der Gewalt des Gesanges, von dessen Zuge hingerissen es nun hervorrast, sich der Lust hingibt, aller Fugen und Bande des Selbst ledig zu sein, um dann jedoch, nachdem diese Lust gebüsst worden, wieder in die Ruhe und Fassung des geregelten Gemütszustandes sich einzuordnen.“

<sup>20)</sup> Annal. philol. vol. 111. p. 105 ss.

<sup>21)</sup> vid. adnot. 5) pag. 3.

<sup>22)</sup> Ad solemn. annivers. Gymn. Emmerichensis, p. 6.

<sup>23)</sup> „Bayer. Gymnasial-Blätter,“ vol. XVII, p. 108.

<sup>24)</sup> Vid. adnot. 17) p. 5.

<sup>25)</sup> Conf. J. Bernaysi „Grundzüge“ etc. p. 143: „Möge Niemand (?) in voreiliger Zimpferlichkeit die Nase rümpfen über vermeintliches Herabziehen der Ästhetik in das medizinische Gebiet.“ etc.

Quae quum ita essent, res ipsa tulit, ut qui post ad poëticam accedebant interpretes atque illorum sententias non probabant, novam quandam interpretandi viam sibi struendam esse censerent, quo factum est, ut posthaec non tam philosophi universa sententia eiudicaretur totiusque loci cum ceteris et huius libelli et aliorum Stagiritae scriptorum locis comparatio fieret, sed singulorum vocabulorum significationes inquirerentur.

Baumgartius quidem vertit Aristotelis tragoediae definitionem in hunc modum:<sup>26)</sup>

„Die Nachahmung einer Handlung, . . . welche durch Mitleid und Furcht an den unvollkommenen Erscheinungen dieser Empfindungen die Läuterung vollzieht.“

Dissertationem illam a. 1873 Regimontani editam scripsit Baumgartius contra Herm. Bonitzium, virum inter paucos Aristotelis studiosum, qui inter vocabula „πάθος“ et „πάθημα“ non esse certam significationis differentiam statuerat idque innumerabilibus locis ex philosophi libris excerptis probare conatus erat.<sup>27)</sup>

Ut recte ea in re viderit Baumgartius, Aristotelem utentem vocabulo „πάθος“ status alicuius mutationem significare voluisse in universum, vocem vero „πάθημα“ usurpantem id dixisse, quod

Ad Stahri l. c. (adnot. 8) p. 16 ss. „Jedes Haar auf dem Haupte eines Aristoteles und jedes alten hellenischen Philosophen und Ästhetikers würde sich dagegen (contra Bernaysi sententiam) sträuben . . . Die Direktoren und Poeten der Pariser Boulevard-Theater jenes Schlages, welche mit ihren Scheu- und Greuelstücken so vortrefflich auf die Roheit des Publikums zu spekulieren verstehen, würden sie mit beiden Händen acceptieren.“ etc.

Leon. Spengeli l. c. (adn. 7) p. 45: „Bernays hat, weit entfernt uns die Grundzüge seiner verlorenen Abhandlung über die Wirkung der Tragödie zu liefern, meiner Überzeugung nach dieselben wesentlich verwischt.“ etc.

Herm. Baumgarti: „Aristoteles, Lessing und Göthe,“ p. 73: „Wie höchst widersinnig und wie höchst widerwärtig erscheint nun die Bernays'sche Sollicitations-Hypothese mit allen Modifikationen, welche seine Anhänger daran vorgenommen.“

<sup>26)</sup> Annal. philol. vol. III (1875), p. 105.

<sup>27)</sup> „Stud. Aristotelica,“ V, p. 50 ss. „Das Wort „παθήματα“ ist allerdings das ungleich seltenere, . . . aber mit dem Worte „πάθος“ derart innerhalb desselben Gedankenganges, ja desselben Satzes zur Bezeichnung derselben Sache verbunden, dass es unzulässig ist, einen begrifflichen Unterschied ziehen zu wollen.“ etc.

ex illa rerum singularum mutatione in singulis efficeretur,<sup>28)</sup> tamen ego Baumgarti loci illius versionem probare nequeo. Non ea quidem re quam affert P. Mannsius,<sup>29)</sup> sed verbis quae sunt in ipsa philosophi arte poetica:<sup>30)</sup> „ἔστι δὲ κατὰ τὴν διάνοιαν ταῦτα, ὅσα ὑπὸ τοῦ λόγου δεῖ παρασκευασθῆναι. μέρη δὲ τούτων τὸ δὲ ἀποδεικνύναι καὶ τὸ λύειν καὶ τὸ πάθη παρασκευάζειν, οἷον ἔλεον ἢ φόβον ἢ ὀργὴν καὶ ὅσα τοιαῦτα“ . . . .

Si enim Aristoteles hoc loco verbis „τὸ πάθη παρασκευάζειν, οἷον ἔλεον ἢ φόβον ἢ ὀργὴν καὶ ὅσα τοιαῦτα“ non idem dicere voluisset, quod in definitione officium esse tragoediae iusserat, certe philosophus ille, quo nemo unquam fuit verborum diligentior ac cautior artifex, aut in definitione aliter dixisset ac „δι' ἔλεον καὶ φόβον περαίνουσα τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν“, aut hic non posuisset „ὅσα τοιαῦτα“. Quis enim non videt, verbis „τῶν τοιούτων“ in cap. a. p. VI. et verbis „ὅσα τοιαῦτα“ in cap. XIX. eandem inesse sententiam, „talía“, „quae eiusmodi sunt“, quae ad illa pertinent, quibus nomen „πάθη“ attribuitur? Neque pronomen *τοιούτος* idem quod *οὗτος* significare potest. Cum Gerhardo Zillgenzio<sup>31)</sup> ego quoque et contra J. Bernaysium<sup>32)</sup> et contra H. Baumgartium dico: pronomen „ὁ τοιούτος“ tum adhibetur, cum duabus compluribusve generis alicuius partibus nominatis ceterae quoque ad idem genus pertinentes partes non quidem singulae, sed in universum nominatur. Exempli gratia affero locum, quem inveni in philosophi Rhetoricis:<sup>33)</sup> „διαβολὴ γὰρ καὶ ἔλεος καὶ ὀργὴ καὶ τὰ τοιαῦτα πάθη τῆς ψυχῆς οὐ περὶ τοῦ πράγματός ἐστιν ἀλλὰ πρὸς τὸν δικαστήν.“ „Nam criminatio“, inquit, „et misericordia et ira et ejusmodi perturbationes animi non rem attinent, sed judicem.“<sup>34)</sup>

<sup>28)</sup> „Pathos und Pathema“, p. 7 ss.

<sup>29)</sup> Sol. ad anniv. Gymn. Emmerich. p. 3.

<sup>30)</sup> a. p. 19 (1456 a 36).

<sup>31)</sup> „Aristoteles und das deutsche Drama“ von Dr. Gerhard Zillgenz. Eine gekrönte Preisschrift. Würzburg 1865. (A. Stuber.) p. 93.

<sup>32)</sup> l. c. pag. 151 ss.

<sup>33)</sup> I, 1 (1354 a 16).

<sup>34)</sup> Secundum versionem J. Th. Buhleini, tom. IV, p. 29.

Non est intellectu, opinor, difficile, Aristotelem hoc loco vocabulo „*τὰ τοιαῦτα*“ utentem ad ceteros ita spectare affectus, ut nominatim eos afferre supersedeat.

Cur autem Aristoteles in definienda tragoediae vi ac natura non usus est voce „*τούτων*“, cur non scripsit „*τούτων τῶν παθημάτων*“, si ad duos tantum illos metus ac misericordiae affectus omnibus ceteris confinibus exceptis referendam censuit catharsin tragicam?

Quia Stagiritis cum in definitione sua tragoediae summum eius artis officium ut imitatione affectus pararet iudicasset praeter affectus, quos in primis ciet imitatione poeta tragicus, nempe metum et commiserationem, ceteros illis aut affines aut imperio eorum ut ita dicam subiectos enumerare supersedit; certe afferre potuisset quoseunque affert in Ethicis suis libris quos scripsit ad filium:<sup>35)</sup> „*δρῆν, φόβον, θράσος, φθόνον, χαράν, φιλίαν, μῦθος, πόθον, ζῆλον, ἔλεον, ὅλως οἷς ἔπεται ἡδονὴ ἢ λύπη.*“

Baumgartius ipse scribit:<sup>36)</sup> „Es ist also klar, dass demgemäss der Empfindung, oder, wie Aristoteles sagt, dem Pathos des Mitleids nach beiden Richtungen hin, nach der Seite des Zuviel und des Zuwenig, Gruppen von Empfindungen zur Seite stehen, welche entweder ganz andere Namen tragen oder gar nicht bekannt sind.“

Eam ipsam affectuum consociationem, quam Baumgartius nomine significat „Gruppen“, Aristotelem cogitasse, cum scriberet „*τῶν τοιούτων*“, mihi quidem aequè planum esse videtur atque Lessingio, viro illi, qui, ut verbis utar vatis Venusini, „non omnis est mortuus.“<sup>37)</sup>

Sin autem Baumgartius contra Lessingium non ex philosophi libris rhetoricis, sed ex eius ethicis naturam affectuum metus ac misericordiae, qualem quidem eam Aristoteles in definienda tragoediae natura intellexerit, ostendere posse sibi videtur, aequè facit, opinor, ac si quis, ut dicit Aristoteles,<sup>38)</sup> qua usus est regula, eandem reddat perversam.

<sup>35)</sup> Ethic. ad Nicom. II, 4 (1105 b 21).

<sup>36)</sup> „Aristot., Less. u. Göthe,“ p. 6.

<sup>37)</sup> „Dramaturg. Hamburgens.“ tom. VIII, p. 140 (cap. 78).

<sup>38)</sup> Rhet. I, 1 (1354 a 24): „*οὐ γὰρ δεῖ τὸν δικαστὴν διαστρέ-*

Ars enim tragica arctissime est coniuncta cum arte rhetorica Euripidesque, quem dicit Aristoteles maxime tragicum,<sup>39)</sup> non tam fuit philosophus moralis, qui studeret in auditorum animis affectuum varios modos regere tamquam et in rectos quos sapientiae doctores praescripserunt fines redigere, sed rhetor fuit, qui omnibus ingenii sui viribus id ageret, ut audientium animos ad tempus flecteret, affectus cieret, profundere lacrimas cogeret.

Aristoteles ipse veteres poëtas personas tragicas politice finxisse loquentes dicit, suae vero aetatis rhetorice.<sup>40)</sup> Quid porro legimus cap. XIX. ? „Ac de aliis quidem (fabula sc. moribusque) iam dictum est. Superest, ut de elocutione sive sententia dicamus. Quae igitur ad sententiam pertinent, in libris de rhetorica posita sunt: hoc enim illius magis est proprium doctrinae. Sunt autem ad sententiam pertinentia ea, quae per orationem comparari opus est. Eorum vero partes sunt demonstrare et obiectiones solvere et affectus excitare, veluti misericordiam, metum, iram et id genus alia; atque etiam augere res vel minuire.“<sup>41)</sup>

Bis igitur Stagiritis in arte sua poëtica mentionem facit rhetoricae: priore loco artis ait rhetoricae hodie studere poëtas tragicos, altero vero loco lectorem sive potius poëtam tragicum ad ipsa rhetorica iubet accedere, qua discat, quo modo excitare possit affectus. Toto autem rhetorices libro secundo philosophus nil aliud disserit nisi quem ad modum rhetor aliquis maxime ciere possit affectus irae et metus et misericordiae.

*φειν εἰς ὀργὴν προάγοντας ἢ φόβον ἢ ἔλεον· ὅμοιον γὰρ καὶ εἴ τις, ὃ μέλλει χρῆσθαι κανόνι, τοῦτον ποιήσειε στροβλόν.“*

<sup>39)</sup> a. p. 1453 a 29.

<sup>40)</sup> a. p. 1450 b 7 „οἱ μὲν γὰρ ἀρχαῖοι πολιτικῶς ἐποιοῦν λέγοντας, οἱ δὲ νῦν ῥητορικῶς.“

<sup>41)</sup> a. p. 1456 a 33 „τὰ μὲν οὖν περὶ τὴν διάνοιαν ἐν τοῖς περὶ ῥητορικῆς κεῖσθω· τοῦτο γὰρ ἴδιον μᾶλλον ἐκείνης τῆς μεθόδου. ἔστι δὲ κατὰ τὴν διάνοιαν ταῦτα, ὅσα ὑπὸ τοῦ λόγου δεῖ παρασκευασθῆναι, μέρη δὲ τούτων τό τε ἀποδεικνύναι καὶ τὸ λύειν καὶ τὸ πάθη παρασκευάζειν, οἷον ἔλεον ἢ φόβον ἢ ὀργὴν καὶ ὅσα τοιαῦτα, καὶ ἔτι μέγεθος καὶ μικρότητα.“

Quare Baumgartium non recte puto obicere Lessingio — nec non Doeringio <sup>42)</sup> — eum metus per tragoediam excitandi naturam, qualem quidem eam Aristoteles intellexerit, falso ex philosophi rhetoricis demonstrasse, demonstrare debuisse e libris ad Nicomachum filium scriptis. <sup>43)</sup>

Alia ac ceteri plerique ratione locum interpretari conatus est, ut iam supra diximus, P. Mannsius. <sup>44)</sup>

Is enim affectus misericordiae et metus non purgari, sed iis ipsis effici affectuum purgationem affirmat et purgari quidem animum spectatoris affectibus superbiae et nimio sui ipsius amore ac studio.

Tale quid si Aristoteles tragoediae munus intellexisset neque aliter si id dixisset ac dixit in definitione sua „δι' ἐλέου καὶ φόβου περαίνουσα τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν,“ philosophum pessime omnium qui unquam rei alicuius definierunt naturam, definiisse ego libere dico.

Aristoteles enim si alios aliis purgari affectus significare voluisset, cur non multo brevius „δι' ἐλέου καὶ φόβου καθαίρουσα ὕβριν“ dixisset, cur dixit „περαίνουσα κάθαρσιν,“ εἰς πέρας ἄγουσα, cur porro dixit „τῶν τοιούτων?“

Quamquam Mannsium recte sentire puto cum dixit: <sup>45)</sup> „quo loco quaeque verba singula ponenda sint dubitari potest.“ At si quis legerit haec quae infra sequuntur philosophi verba, fore confido, ut nostro iure de tali definitionis illius interpretatione dubitare possimus. Scribit autem Aristoteles haec: <sup>46)</sup> „οὐ γὰρ πᾶσαν δεῖ ζητεῖν ἡδονὴν ἀπὸ τραγωδίας, ἀλλὰ τὴν οὐκ εὖ. ἐπεὶ δὲ τὴν ἀπὸ ἐλέου καὶ φόβου διὰ μιμήσεως δεῖ ἡδονὴν παρασκευάζειν τὸν ποιητὴν“ κτλ.

In Politicis vero: <sup>47)</sup> „ὁ γὰρ περὶ ἐνίας συμβαίνει πάθος ψυχᾶς ἰσχυρῶς, τοῦτο ἐν πάσαις ὑπάρχει, τῷ δὲ ἥττον δια-

<sup>42)</sup> „Philologus,“ vol. XXI, p. 496 ss.

<sup>43)</sup> „Aristot., Lessing u. Göthe,“ pag. 31.

<sup>44)</sup> l. c. (vid. adnot. 13, p. 4).

<sup>45)</sup> Sol. ad annivers. etc. pag. 4.

<sup>46)</sup> a. p. 1453 b 20.

<sup>47)</sup> Polit. VIII, 7 (1342a 4 ss.).

φέρει καὶ τῷ μᾶλλον, οἷον ἔλεος καὶ φόβος ἐτι δ' ἐνθουσιασμός. καὶ γὰρ ὑπὸ ταύτης τῆς κινήσεως κατακώχιμοι τινές εἰσιν. ἐκ δὲ τῶν ἐρωτῶν μελῶν ὁρῶμεν τούτους, ὅταν χρήσωνται τοῖς ἐξοργιάζουσι τὴν ψυχὴν μέλεσι, καθισταμένους ὥσπερ ἰατρείας τυχόντας καὶ καθάρσεως. ταῦτό δὲ τοῦτο ἀναγκαῖον πᾶσχειν καὶ τοὺς ἐλεήμονας καὶ τοὺς φοβητικούς καὶ τοὺς ὅλως παθητικούς, τοὺς δ' ἄλλους καθ' ὅσον ἐπιβάλλει τῶν τοιούτων ἐκάστω καὶ πᾶσι γίνεσθαι τινα καθάρσιν καὶ κομφίξεσθαι μεθ' ἡδονῆς. Ac paulo supra: „τί δὲ λέγομεν τὴν καθάρσιν, νῦν μὲν ἀπλῶς, πάλιν δ' ἐν τοῖς περὶ ποιητικῆς ἐροῦμεν σαφέστερον.“

Totum locum adposui, ut lector ipse diiudicare possit, num Mannsi opinio „affectibus metus et commiserationis alios affectus, praeter ceteros superbiam purgari eaque purgatione gaudium illud tragoediae proprium“<sup>48)</sup> effici, „sustineri ac defendi possit.“

Equidem persuasum habeo, Aristotelem, si unquam putasset, alios aliis purgari posse affectus, velut in tragoedia superbiam purgari metu et commiseratione, mirae eius sententiae certe eo loco mentionem facturum fuisse, ubi diserte loquitur de affectuum purgatione.<sup>49)</sup> Sed facit mentionem nullam, non modo in politicis, sed ne in poëtica quidem; affectus is ipse, quem Mannsius tragica imitatione purgatum vult, nusquam a philosopho commemoratur, vocabulum „ὑβρις“ in arte poëtica non inveni. Quis autem credat, in definitione aliqua ne mentionem quidem fieri posse eius rei, quam ad rem tota ut recta ac perfecta sit definitio spectare debeat? Etenim „τὸ τέλος“, inquit Aristoteles, „μέγιστον ἀπάντων.“<sup>50)</sup>

Quem ad modum autem Mannsius voluptatem illam tragicam fieri posse opinetur, ne hoc quidem dispicio. An superbiae purgatione? At quonam affectu eam purgatam vult? Metus affectu. Qua in re nescio, quo pacto metus dum in animo spectatoris versatur, voluptatem queat parare. Metum autem ipsum discedere ex animo vetat Mannsius, quippe qui, si ipse discederet, non posset exturbare superbiam.

<sup>48)</sup> a. p. 1453 b 10: „οὐ γὰρ πᾶσαν δεῖ ζητεῖν ἡδονὴν ἀπο τραγωδίας, ἀλλὰ τὴν οἰκείαν.“

<sup>49)</sup> Polit. VIII, 7 (1341 b 38 ss.)

<sup>50)</sup> a. p. 1450 a 23.

Possum alios contra Mannsi sententiam afferre locos, in primis excerpta illa Crameri ex codice saec. X.,<sup>51)</sup> „quae eapropter notabiliora sunt, quod scriptor plenior tractatum de poetica quam qui ad nos pervenit habuisse videtur.“ Dicit autem scriptor ille: „ἡ τραγωδία ὑφαιρεῖ τὰ φοβερά παθήματα δι' οἴκτον.“

Paulo infra: „συμμετοία τοῦ φόβου θέλει εἶναι ἐν ταῖς τραγωδίαις καὶ τοῦ γελοίου ἐν ταῖς κωμωδίαις.“

Hi loci, quibus nulla prorsus mentio fit eiusmodi tragoediae muneris, quale quidem Mannsius illi imputat, quibus lucidissime pronuntiatur, metus affectus subtrahi quodam modo altero affectu, commiseratione, mihi praeter ceteros maxime probare videntur, Aristotelem verbis „δι' ἑλέου καὶ φόβου περαινόνσα τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν“ nihil aliud significare voluisse nisi purgationem affectuum metus ac commiserationis ipsorum, artis tragicae proprium habuisse affectus excitare excitatosque purgare, non eos ipsos purgantes reddere aut ipsis contrarios affectus aut certe dispare, si omnino „ὑβρις“ in spectatorum animis insidens sive potius latens nomine „πάθος“ appellari potest.

Venio ad tertium recentiorum interpretem, A. Bullingerum, qui quidem catharsin tragicam eam intellegit, quae affectus non spectantium, sed personarum in scaena agentium purget.<sup>52)</sup>

Aristoteles ubi de fabularum compositione disserit deque agentium personarum moribus fingendis atque exprimendis, semper id agere iubet poetam, ut in spectantium animis excitet metum ac commiserationem. Quid? si unquam philosophus fieri posse putasset, ut agentium in scaena personarum, non spectatorum animi metu ac commiseratione purgarentur, id ne uno quidem verbo, non in definitione ipsa, non tota denique in arte poetica eum commemoraturum fuisse putemus?

Pronomen vero „τοιούτος“ vertendum esse „diesbezüglich“ ego, quamvis sexcentos locos ad talem versionem probandam afferat Bullingerus, adprobare prorsus nequeo. Omnes enim quos affert locos quibusque vocabulum „τοιούτος“ significat aut significare

<sup>51)</sup> Videsis Joh. Vahleni, viri de emendanda philosophi arte poetica optime meriti, „Aristotel. de a. p. lib.“ Berolini 1874 (ap. Franc. Vahlenum), p. 77.

<sup>52)</sup> Vid. adnot. 23) pag. 6.

videtur id, quod nos dicimus „diesbezüglich“, ob eam rem nihil valent ad definitionem tragoediae ita explanandam, quod omnibus illis locis „*τοιούτος*“ adhibetur de aliqua re, quae antea aut in eodem verborum contextu aut certe in eodem capite commemoratur.

Ex multis illis quos affert Bullingerus locis unum — ne longius egrediamur — diligentius inspicimus. Quem unum locum si falso ad artis poëticae i. e. definitionis tragicæ verba relatum ostenderimus, etiam reliquos locos ex Herodoto et Demosthene allatos nihil valere ad rem demonstrandam facile intellegemus.

„Apud Isocratem,“<sup>53)</sup> inquit Bullingerus,<sup>54)</sup> „unum certe reperi locum, quo talem loquendi usum apud Graecos fuisse ostendi possit. Hoc enim loco orator Lacedaemonios „ab eiusmodi sententia“ depellere studet i. e. ab tali sententia, quae agendi illorum respondeat rationi, in capite superiore expositae.“ Quid? „in capite superiore expositae?“ Atqui hoc ipsum id quod nos contendimus rectum esse affirmat. Nos autem dicimus, pronomen „*τοιούτος*“ adhiberi<sup>55)</sup> semper relatum ad rem aliquam, quae paulo ante est commemorata, quam quidem sententiam Bullingerus ipse iis Isocratis verbis, quae supra attulimus, rectam esse pronuntiat.

Hoc vero artis poëticae loco ubi antea ab Aristotele de affectibus, quibus capiantur actores, dicitur, ubi in una ex antecedentibus libelli paragrapho mentio fit vocabuli „*παθημάτων*“ relati ad personarum agentium animos?

<sup>53)</sup> Isocr. Paneg. cap. 36 (λξ'): „*Καὶ μηδεὶς ὑπολάβῃ με δυσκόλως ἔχειν, ὅτι τραχύτερον τούτων ἐμνήσθην, προειπὼν, ὡς περὶ διαλλαγῶν ποιήσομαι τοὺς λόγους. οὐ γὰρ ἵνα πρὸς τοὺς ἄλλους διαβάλω τὴν πόλιν τὴν Λακεδαιμονίων οὕτως εἴρηκα περὶ αὐτῶν, ἀλλ' ἵνα αὐτοὺς ἐκείνους παύσω, καθ' ὅσον ὁ λόγος δύναται, τοιαύτην ἔχοντας τὴν γνώμην.*“

<sup>54)</sup> „*Τοιούτος*“—Studien, I. c. p. 110: „In des Isokrates Panegyrikus fand ich wenigstens eine für den fraglichen Sprachgebrauch zeugende Stelle, cap. 36 post init. Hier will der Redner die Lazedämonier von solcher Gesinnung abbringen (*παύειν τοιαύτην γνώμην ἔχοντας*) d. h. von einer Gesinnung, die der Handlungsweise, den Thaten entspricht, die im vorhergehenden Kapitel geschildert sind.“

<sup>55)</sup> Conf. adnot. 31) pag. 18.

Aliis etiam ex causis redarguere possumus Bullingeri opinionem <sup>56)</sup> Sed ea quae diximus iam credo sufficiunt et „hic plura persequi, magnitudo voluminis prohibet.“

Iam autem tempus est me quid ipse de ea re sentiam proferre. Ac primum quidem verto ego cum Lessingio omnibusque qui eum sequuntur Stagiritae illa verba „δι' ἐλέον καὶ φόβον περαίνονσα τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν.“ „(sondern indem sie) mittelst (der Erweckung) von Mitleid und Furcht die mit derartigen Empfindungen verbundene (erleichternde) Reinigung zu Stande bringt.“

Primum igitur quaeramus, quo modo ii affectus — secundum Aristotelem — excitandi sint, deinde qua ratione purgentur, tum qua ex causa existat voluptas illa tragica. <sup>57)</sup>

„Ἀνάγκη ἄρα τὸν καλῶς ἔχοντα μῦθον ἀπλοῦν εἶναι μᾶλλον ἢ διπλοῦν, ὥσπερ τινὲς φασιν, καὶ μεταβάλλειν οὐκ εἰς εὐτυχίαν ἐκ δυστυχίας, ἀλλὰ τοῦναντίον ἐξ εὐτυχίας εἰς δυστυχίαν, μὴ διὰ μοχθηρίαν ἀλλὰ δι' ἀμαρτίαν μεγάλην, ἣν οἶον εἴρηται, ἣν βελτίονος μᾶλλον ἢ χείρονος.“ <sup>58)</sup>

Non, inquit philosophus, felicem exitum debet habere fabula bene composita, sed infelicem, non hominem ingenii sui nequitia insignem, sed fortunae fraude magis quam animi vitio calamitate affectum in scaenam prodire oportet.

Tragoediae enim officium est, metum movere et commiserationem. Quid autem magis valet ad metus affectum ciendum quam videre eum virum quem finxerit nobis poeta magis admiratione nostra quam odio dignum subito intereuntem et id quidem non tam ingenii morumque quodam vitio, sed fati deos hominesque subigentis dira necessitate?

Hominem autem cuius calamitatis nos misereat, eum esse oportet, quem si non adamare et admirari, at certe magni facere et cui bene cupere possimus. Ea ex causa Aristoteles Euripidem

<sup>56)</sup> Vid. Johann. Nicklasium in „Blätter f. d. bair. Gymnasial-W.“, vol. XV, pag. 233.

<sup>57)</sup> Vid. adnot. 48) pag. 12.

<sup>58)</sup> a. p. 13. (1453 a 12 ss.)

appellat eum poëtam, qui maxime praeter ceteros<sup>59)</sup> tragice sciat componere, quippe qui plerisque suis fabulis infelicem fingat exitum.<sup>60)</sup>

Excitantur ergo per tragoediam metus et misericordiae affectus — hominem enim utpote nostri similem spectantes intereuntem et misericordia et metu (similis nobis imminens cladis) afficiamur necesse est — quoque melior erit fabulae compositio, quo melius poëta sciet in scaenam producere hominem, cuius moribus nos ipsos aut similes esse sentiamus aut similes fieri cupiamus, eo maiorem metum eius condicionis et praesentis et futurae, eo maiorem commiserationem eius interitus atque cladis incutere nobis spectantibus valebit.

Nil novi me adhuc adtulisse ad catharsis illius qualem Aristoteles intellexerit naturam enucleandam probe sum mihi conscius. Sed cum recentiorum temporum, uti supra diximus, interpretes alii alios affectus aut excitari aut purgari poëtae tragici arte dixerint, equidem non inutile fore ducebam ex philosophi ipsa arte poëtica iterum atque iterum ostendere, Aristotelem cum iuberet poëtam tragicum fabulas fingere infelicem exitum habentes hominesque in iis magis bonos quam malos fato succumbentes, nihil aliud

<sup>59)</sup> a. p. 1453a 29.

<sup>60)</sup> Cum et Carolus Schwabe (annal. philol., vol. 109, (1874) p. 97 ss.) et D. Christ. Guil. Jos. Cronius („De loco poëticae Aristoteleae, quo Euripides poëtarum maxime tragicus dicitur,“ Erlangae MDCCCLV“) ita hoc loco opinantur laudari Euripidem ab Aristotele, ut non quidem Aeschilo aut Sophocli aut utrique eorum absolute praeferatur, sed certis quibusdam poëtis (C. Schwabe l. c. p. 107) aut „ad veteris sectae (poëtarum tragicorum) usum probandum atque firmandum,“ (Cronius l. c. p. 9) — rationes ab his viris, quos honoris causa nomino, eius sententiae demonstrandae gratia allatas probare non possum.

„*Εἰ καὶ τὰ ἄλλα μὴ εἴ οἰκονομεῖ,*“ ait Aristoteles, „*ἀλλὰ τραγικώτατός γε τῶν ποιητῶν φαίνεται.*“ Quae cum legimus, imprimis quaerendum est, quam propter causam Euripides talibus afficiatur laudibus. „Quia plerisque eius poëtae fabulis finis est luctuosus.“ Eam ergo rem — quid magis esse potest perspicuum? — philosophus potissimum putabat esse tragicam et quia Euripidis fabulis plerisque — quot quidem Aristoteles legerat (aliquanto autem maiorem earum numerum quam nobis restat legisse eum crediderim!) — exitus erat infelix, ideo hunc poëtam dixit esse maxime tragicum. — Nihil enim ad rem, utrum aliis in rebus Stagiritis sexcenties vituperet hominem, maxime appellat tragicum — nil amplius opto.

monere voluisse nisi ut maxime iis ipsis rebus poeta ciceret in spectantium animis metum ac commiserationem.

Cum Vahlenio quod ad Bernaysi pertinet definitionis tragodiae interpretationem dico,<sup>61)</sup> „eius sententiae auctorem, dum ars illa ratiocinandi grammatica in honore futura sit, semper parem fore obtrectatoribus.“ Neque enim unquam fiet, ut caput illud VII. libri de republica VIII., ubi philosophus de purgatione affectuum, quae fiat sacris illis carminibus, dicit,<sup>62)</sup> non arctissime cum tragoediae definitione eiusque affectuum catharsi coniugendum, ut non artis poeticae i. e. tragicæ vis aequa aut certe simili ratione ac vis musicae artis intelligenda sit.<sup>63)</sup> „*Κάθαρσις τις γίγνεται*,“ inquit Aristoteles, „*καὶ κομφίζονται*.“ Quinam homines? „*Οἱ ἐλεήμονες καὶ οἱ φοβητικοὶ καὶ οἱ ὅλως παθητικοί*.“

Atqui tragoediam affectus ciere iubet Aristoteles<sup>63)</sup> et eos quidem, quibus spectatores, — ut philosophi ipsis verbis utar, — „*ἐλεήμονες*“ fiant et „*παθητικοί*.“ Homines autem ita affectos purgari quodam modo ait et allevari — „*κάθαρσις τις γίγνεται καὶ κομφίζονται*“ — eodem modo quo homines inflammatione quadam incensos musicorum modis animos audientium inflammantibus.<sup>64)</sup> Bernaysi ergo ars illa ratiocinandi, qua invenit et probavit ex politicorum illis locis praeter ceteros intellegendum esse, quam Aristoteles intellexerit catharsin affectuum et universorum et singulorum, omnibus, qui enucleandae ei rei student, semper, ut ego quidem persuasum habeo, et adprobanda erit et imitanda.

<sup>61)</sup> Annal. philol. vol. LXXXIX. (1864) p. 520: „Diese Theorie wird jedem Widerspruch Trotz bieten, solange philologische Hermeneutik in Ehren bleibt.“

<sup>62)</sup> Bernaysi „Grundzüge“ etc. p. 145: „Wer nach so deutlichen Äußerungen es für möglich hielte, dass die Definition in der Poetik unter einer wesentlich andern Beziehung von Katharsis rede, der müsste seltsame Vorstellungen von Aristoteles' Konsequenz im Gebrauch seiner Termini hegen.“

<sup>63)</sup> a. p. 1456 a 38 ss.

<sup>64)</sup> Polit. VIII, 7 (1341 b 32): „*φαμὲν δ' οὐ μᾶς ἔνεκεν ὥφελείας τῇ μουσικῇ χρῆσθαι δεῖν, ἀλλὰ καὶ πλειόνων χάριν, καὶ γὰρ παιδείας ἔνεκεν καὶ καθάρσεως, τί δὲ λέγομεν τὴν καθάρσιν, νῦν μὲν ἀπλῶς, πάλιν δ' ἐν τοῖς περὶ ποιητικῆς ἔροῦμεν σαφέστερον*.“

Quem ad modum ergo Lessingio laus adtribuenda est, quod ex Rhetoricis definierit affectuum naturam,<sup>65)</sup> ita Bernaysium semper eum oportet exhiberi, qui ex philosophi ipsius scriptis, non ex sui ipsius ingenii opinionibus, viam aperuerit, qua vis ac natura catharsis tragicae, qualem quidem eam Aristoteles intellexerit, dinosci possit.

Restat ut quaeramus, qua ratione ex illa affectuum excitatio et purgatio et cum ea simul voluptas quaedam exoriatur. Cum Aristoteles voce utatur quae est „*καταρτίζεσθαι*,“ paulo post de voluptate dicat innoxia — „*ἡ δὸν ἁβλαβής*,“ — ego hisce verbis nil aliud dicere duco philosophum nisi liberatione et simul cum ea etiam purgatione affectuum per tragoediam excitatorum in animis spectatorum effici voluptatem et eam quidem, quae non sit noxia. Non ignoro, me in ea quoque re consentire cum Bernaysio eiusque interpretationem sequentibus. Non sum is, qui putem ea opinione maiestatem artis tragicae laedi neque sum sectae illius Plotini, quem puduit hominis formam habere.

Quid? Ingentem illam quum in rerum omnium et mortalium i. e. corporum et immortalium i. e. animorum natura vicissitudinem videamus atque mutuam inter se communionem et conspirationem, — num expavescamus rei definitionem, ubi casu quodam idem vocabulum adhibeatur, quod in corporum purgatione et sanatione cotidie audimus usurpatum? Quid? nonne cotidie corporum vitia videmus removeri ipsis iis venenis, quae in corpore ante parum valentia propter exiguitatem quandam et imbecillitatem aegrum id reddant, donec medici arte ingesta et composita simul cum vehementi partis aegrotae excitatione eam denique purgatam efficiant et in pristinam sanitatis condicionem restituant? Disserui ego cum viro artis medicae peritissimo. Is furoris morbum iam saepe sanatum esse affirmavit eo ipso medicamine, quod sanos homines in eum furoris statum perducturum erat, atropa illa belladonna. Neque mentionem facere non possum remedii illius inventi a Jennero, viro de genere hominum variolis laborantium quam optime meriti.

<sup>65)</sup> Conf. p. 9 ss.

Quid ergo nos impedit, quominus id, quod revera fieri videmus in corpore aegroto sanando, fieri quoque posse existimemus in animis, qui sunt affectibus commoti? Quid nos impedit, quominus cum Bernaysio dicamus:<sup>66)</sup> „Catharsi illa nil aliud fit nisi excitantur et proturbantur ex animo ista ratione sanando affectus aegritudinis cuiusdam et tristitiae.“

Quodsi Baumgartius<sup>67)</sup> Bernaysi verba illa „Homo cum misericordia captus sui ipsius tamquam oblitus communi cum sorte sese coniunctum atque mundanum esse intellegit, intuens rerum aeternarum ineluctabiles leges et imperia, quibus mortales ad unum omnes devinciuntur, metu atque horrore perfunditur,“<sup>68)</sup> — plane contraria ait esse sententiae, quam habeat ipse Bernaysius de natura tragoediae iisque verbis contineri vim quandam, qua mores spectantium emendentur, — equidem talis argumentationis rationem probare nequeo. Quidni spectatorum animos tragici poetae arte et ingenio plus solito ac consueto modo, non quidem cotidianae miseriae, sed inauditae alicuius et novae calamitatis heroumque stragis aspectu excitatos nova quadam ratione, sublimioribus quibusdam affectibus metus ac commiserationis imbui et commoveri duamus?

Etenim ea est, credo, omnium artium natura, ut nobis viam quasi monstrent, qua et sentiendo et agendo in dies meliores et rationis honesti ac pulchri diiudicandi peritiores fieri possimus.

Recte quidem Goethius cum dicit:<sup>69)</sup> „Aristotelem pulcherrima atque perfectissima in manibus habentem cogitasse effectum, quem haberet tragoedia in audientium animis? O quantum ludibrium! At nos quidem artis aliquod opus per se ac propter se ipsum

<sup>66)</sup> „Grundzüge“ etc. p. 144: „Die ganze Katharsis beruht lediglich in dem Aufregen, dem Hervortreiben der in dem Gemüte dessen, dem damit eine Erleichterung zu Teil werden soll, vorhandenen, beklemmenden Elemente.“

<sup>67)</sup> „Aristot., Less. u. Göthe“, I. c. p. 57 ss.

<sup>68)</sup> „Grundzüge“ etc. p. 182: „Nachdem im Mitleid das eigene Selbst zum Selbst der ganzen Menschheit erweitert worden, stellt es sich den furchtbar erhabenen Gesetzen des Alls und ihrer die Menschheit umfassenden unbegreiflichen Macht von Angesicht zu Angesicht gegenüber und lässt sich von der Furcht durchdringen.“

<sup>69)</sup> Vid. liter. ad Zelterum missas, V, p. 330 ss.

perficere studemus; isti vero, qui possint spectantium animos movere, id quod natura cum leonem procreat aut trochilum non magis curat quam homo qui arti ingenioque suo vere est deditus.“

Recte id quidem; sed, — ut non respiciat poëta in opere aliquo condendo effectum alium ac quem omnis artificiosa rerum imitatio in se ipsa habeat positum, num sequitur, ut alius praeter eum effectus omnino nullus esse possit? Natura si leonem robore et formositate insignem protulerit, trochilum si coloribus nitidissimis distinctum in lucem ediderit, astra si in coelo tempore nocturno alia alio lumine suavissimo lucere iusserit, — num ex eo, quod talia per se ipsa sint creata, quod per se et propter se ipsa in mundo versentur, effici nos credere fas est, ut talia nihil momenti habeant ad animos hominum ratione praedictorum gaudio et admiratione et religione quadam imbuendos?

Atqui poëta aliquis si produxerit nobis in scaenam eos homines, quales quidem Aristoteles iubet produci,<sup>70)</sup> quorum nos miseriarum miserere, quorum interitum utpote fato paratum metuere nos oporteat, num quis spectantium animos solito maiore ac sublimiore ratione commoveri atque vel invitos cogitando ad altiora tendere vetabit?

Aristoteles ergo si dicit:<sup>71)</sup> „*Δεῖ δὲ μὴ τὰ Πανύσωρος θεωρεῖν τοὺς νέους, ἀλλὰ τὰ Πολυγνώτου καὶ ἐν τις ἄλλος τῶν γραφέων ἢ τῶν ἀγαλματοποιῶν ἐστὶν ἡθικός . . .*“ paulo autem supra:<sup>72)</sup> „*δεῖ δὴλον ὅτι μανθάνειν καὶ συνεθίζεσθαι μηδὲν οὕτως ὥς τὸ κρίνειν ὀρθῶς καὶ τὸ χαίρειν τοῖς ἐπεικέσιν ἢ θεσι καὶ ταῖς καλαῖς πράξεσιν,*“ — non suis quidem verbis arti tragicæ vim quandam ad mores emendandos pertinentem adtribuit, sed philosophum de ea re interrogatum cum Lessingio ingenii sui acerrimo interprete talem quandam vim tragœdiæ concessurum fuisse mihi quidem verisimillimum est.<sup>73)</sup>

Cum Bernaysio voluptatem illam tragicam nulla alia putem contineri re nisi relaxatione et remissione affectuum arte poëtae

<sup>70)</sup> a. p. 13 (1452 b 30 ss.).

<sup>71)</sup> Polit. VIII, 5 (1340 a 36 ss.).

<sup>72)</sup> ibid. (1340 a 16).

<sup>73)</sup> Conf. Fr. Susemihli „Aristotel. über die Dichtkunst“ etc. p. 40.

trageici excitatorum; quae quidem remissio eo fiet iucundior animisque spectantium acceptior, quo magis scierit poeta tragicus ipsa fabulae compositione, peripetia sive rerum implicatione ac solutione, personis dignis commiseratione nostra producendis, exitu denique ita comparato, ut homines quamvis succumbentes non admirari non possimus, spectatorum animos ad eiusmodi affectus concipiendos aptos reddere atque idoneos.

Recte quidem Schellingius:<sup>74)</sup> „Sua sponte aliquem poetas subire sceleris sese invito commissi itaque simul cum libertate sua amissa ea se dignum praebere et interire integro! cum voluntatis suae arbitrio, — ea cogitatione nil est sublimius, ea victoria nil est praeclarius!“

Ea enim ipsa re vim artis trageicae voluptatemque illam — ut Stagiritae verbo utar — domesticam contineri puto, ut affectus illos arte ingenioque excitatos arte ingenioque item sciat componere compositosque quodam modo purgare. Non enim cum videmus hominem in via publica vulnere subito ingesto corruentem, cum videmus vel morientem, quamvis commiserationis metusque affectibus correpti voluptate quadam affectos nos esse sentiemus. Nam omnia illa, quae sunt artis trageicae propria, rerum imitatio,<sup>75)</sup> rerum compositio, hominum ingenio ac moribus ceteris mortalibus quodammodo altiorum et praestantiorum calamitates dirae, novae, insolitae, — omnia illa, inquam, in illis cotidianae vitae rebus desunt. Multum enim interest, utrum animi aliquis affectus casu an arte, calamitate ipsa an eius ingeniosa et artificiosa imitatione excitetur. Quare Aristoteles permultis artis poeticae locis rerum compositionem summi momenti esse dicit ad tragoediam recte componendam tragoediam.

„Maximum vero,“ inquit, „ex his (sc. fabula, moribus, elocutione, sententia, spectaculi apparatu, melopoeia) est actionum con-

<sup>74)</sup> Fr. Guil. Jos. Schellingi op. omnia, V, p. 697.

<sup>75)</sup> a. p. 4 (1448 b 10 ss.) „*ἀ γὰρ αὐτὰ λυπηρῶς ὀρῶμεν, τούτων τὰς εἰκόνας τὰς μάλιστα ἡκριβωμένας χαίρομεν θεωροῦντες*“ κτλ.

stitutio;<sup>76)</sup> „actiones et fabula sunt finis tragoediae; at finis est omnium maximum;<sup>77)</sup> „si quis ordine ponat sermones moratos et dictiones sententiasque bene confectas, non efficiet, quod tragoediae erat opus; sed multo magis tragoedia illa, quae in his magis deficiat, fabula tamen habeat actionumque compositionem;<sup>78)</sup> „principium igitur et quasi anima tragoediae est fabula.<sup>79)</sup> Animos ergo spectantium videntes et saepius quidem videntes hominum talium, quales Aristoteles velit in scaenam prodire, actiones fortunamque posse nonnihil fructus capere ego crediderim ad morum aliquam emendationem, ad cogitationes hominum nimis rerum humilium studiosorum quodammodo erigenda et ad aspectum contemplationemque rerum immortalium perducendas.<sup>80)</sup> Quodsi poeta exitu fabulae talem scierit parare in animis misericordia et metu excitatis compositionem, ut simul cum illa naturali, ut ita dicam, affectuum excitatorum relaxatione cum voluptate coniuncta et animi

<sup>76)</sup> a. p. 1450 a 15: „μέγιστον δὲ τούτων ἐστὶν ἡ τῶν πραγμάτων σύστασις.“

<sup>77)</sup> ibid. 1450 a 22: „τὰ πράγματα καὶ ὁ μῦθος τέλος τῆς τραγωδίας· τὸ δὲ τέλος μέγιστον πάντων.“

<sup>78)</sup> ibid. 1450 a 29: „ἐάν τις ἐφεξῆς θῇ ῥήσεις ἡθικάς καὶ λέξεις καὶ διανοίας εὖ πεποιημένας, οὐ ποιήσει ὁ ἦν τῆς τραγωδίας ἔργον, ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον ἢ καταδεστέροις τούτοις κεχορημένη τραγωδία, ἔχουσα δὲ μῦθον καὶ σύστασιν πραγμάτων.“

<sup>79)</sup> ibid. 1450 a 38: „ἀρχὴ μὲν οὖν καὶ οἶον ψυχὴ ὁ μῦθος τῆς τραγωδίας.“

<sup>80)</sup> Vides. Spengeli L. „Über die *κάθαρσις τῶν παθημάτων*“ etc. (conf. adnot. 7) p. 4), p. 44: „Nun setzt aber Aristoteles, um gut zu werden, besonders wirksam den *ἔθισμός*, Pol. VII, 13, 15, allmählig sich das Gute zu gewöhnen; zuerst *ἔθειν*, dann *λόγῳ* ist sein Grundsatz der Erziehung VIII, 3. Die Tragödie aber bildet durch das Schauen des Sittlich-guten ein Angewöhnen, so dass wir in der Wirklichkeit uns darnach richten, so handeln, wie wir uns hier zu schauen gewöhnt haben (*ὁ δ' ἐν τοῖς ὁμοίοις ἔθισμός τοῦ λυπεῖσθαι καὶ χαίρειν ἐγγύς ἐστι τῷ πρὸς τὴν ἀλήθειαν τὸν αὐτὸν ἔχειν τρόπον*), sie lehrt uns das *ὁρθῶς χαίρειν καὶ λυπεῖσθαι*, damit die richtige Handhabung der *πάθη*, wozu diese gehören. So kann die Tragödie, wenn sittlich gute Charaktere dargestellt werden, ethisch auf den Zuschauer wirken.“

quaedam placatio ex fabulae ipsius exitu fiat, si poëta talem depinxerit nobis virum, quem vel intereuntem victorem quasi discedentem videre, adamare, admirari debeamus, tum vero fore crediderim, ut exoriatur talis animi conditio, qualem efficere Aristoteles poëtam vere tragicum voluerit.

## Pars altera.

Cum Bernaysius<sup>81)</sup> quam dedit catharsis tragicæ interpretationem singulis poëtarum tragicorum fabulis exponendis non illustravit, ipse emendationem viri praeclarissimi supplebo, ut altera hac parte Euripidis fabulas cum Aristotelis definitione tragoediae comparem.

Non autem ut Wartenburgius<sup>82)</sup> fabula aliqua singulas in partes divisa vim ac naturam catharsis tragicæ exponam, sed ex catharsis ipsius natura, quam satis iam a nobis definitam esse confido, Euripidis poëtae virtutes aut vitia ostendere ac demonstrare conabor. Quum enim veram affectuum catharsin non tam ex naturali ut ita dicam voluptate, quam praebebat affectuum excitatorum relaxatio atque remissio, fieri viderimus, quam ex fabulae totius compositione, quae est arte ingenioque poëtae tragici parata, quaerere nos, quibusnam in Euripidis tragoediis eiusmodi fiat aut fieri possit catharsis affectuum, haud inutile esse duxerim. Euripides autem is est poëta, quem Aristoteles ipse omnium tragicorum maxime esse tragicum dicit.<sup>83)</sup> Recte ille quidem: neque enim

<sup>81)</sup> „Grundzüge“ etc. p. 171 ss.; conf. Hub. Reinkensi „Aristoteles über Kunst“ etc. p. 130.

<sup>82)</sup> „Die Katharsis des Aristoteles und der Oedipus Coloneus des Sophokles“ von Paul Graf Yorck von Wartenburg. Berlin, Verlag von Wilhelm Hertz, 1866.

<sup>83)</sup> a. p. 1453 a 28; conf. sis quae scripsit Ant. Widemannus „das Euripideische Drama und dessen Einfluss auf die dramatische Literatur der späteren